

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis Novembris, anni M. DCC. XLIII.

M. CAROLO-LUDOVICO LIGER, Doctore Medico, Præside.

An menstruis Morantibus, Chalybeata?

I.


ORUM quæ facta sunt, aliqua homini nocent, plurima opitulantur. Quorumcumque Triplex distinguitur classis, scilicet Animalium, Vegetabilium, mineralium. Singula vel alimenti vel Medicamenti nomine insigniuntur. Actio singulis est propria, Finis idem est omnibus, nempè solida inter & fluida, æquilibrii nunc tutela, aliàs resarcitio. Pessumdatur istud æquilibrium, vel fibrarum rigiditate, aut laxitate, vel humorum crassitie, nimiâve tenuitate; Ex iis quibuscumque vitiis,

oritur diverſa liquidorum quantitas, ſimul & inæqualis ſolidorum renixus, ubi potiſſimùm adeſt ſanguinis exuperantia, qualis occurrit, menſtruis morantibus. Quæ tunc ſurgunt incommoda, alia pendent à debiliori fibrarum tono, quem humorum excipiunt mora & lentor, alia ex earum majori rigiditate quam ſequitur liquidorum raritas, nimiave tenuitas. Quid ſuaderi poteſt? Niſi remedium conſtans particulis quibus laxiores villos roborare, rigidiores laxare par eſt, & proinde fluidis pro locorum diſcrimine, idoneam menſuram, & motus æquales conciliare.

I I.

DIURNUM in Prægnante prolis humanæ nutrimentum dicitur in Adultâ non gerente, Menſtruum; portio videlicet ſanguinis, ſive lymphæ ſanguineo colore tinctæ, ex utero ſingulis menſibus ſub excrementi larvâ exiens, acutos ſiſtens eadem rarò excitat morbos, eos tantùm exacerbat ſæpiſſimè, Econtra longos ac contumaces plerumque accerſit; ſuntque vulgò chloroſis, icterus, leuco-phlegmatia, boulimus, pica, malacia, ſuffocatio uterina, oſcitationes, pandiculationes, ſpaſmi, convulſiones, febris amatoria; Horumce morborum cauſa antecedens, ſucci eſt menſtrui refluxus, ex eo enim nimia vaſis oſcillantibus reſiſtit fluidi propellendi copia, vaſa proinde diſtenduntur, ſuoque defraudantur elatere, lympha etiam malè compacta, ceſpitat, lenteſcit, aceſſit, irritat, fiunt ſtaſes & decubitus humorum, aut in ſolidis inſoliti ſurgunt motus, ſæpius inutiles niſi Medicina eas offerat ſuppetias, quibus liquidorum pondus detrahatur ipſis occluſæ reſerentur viæ, ſimul & ſolidis humorum refluxu laxioribus, novus addatur vigor, donec qui ipſis nativus eſt, ſponte redeat, eoque facto perenni & conſtante, fiat etiam rata Sanguinis Menſtrui evacuatio.

I I I.

CHALYBS, hoſce parit effectus: Vulgò etenim ſingularis in utero criſpatura accerſit menſtruorum moram, quam fovet cæterorum abdominis organorum atonia. Pendet ſæpiſſimè ex victûs inſtitutione, ex indole, ex animi, vel cogitationibus, vel pathematis. Curatu etiam difficilior eſt quam ea, quæ proficiſcitur, ex corporis vel inertiâ vel vehementiori motu, aut humorum, vel acrimoniâ, vel lentore & glutino. Hiſce variis uteri affectionibus, menſtrui ſanguinis evacuatio, per inſolitas vias, ſub aliâ ſpecie, nunc diſſipatur, nunc eadem partes obruit, onerat, impetit. In tollendâ igitur, quæcumque ſit, uteri criſpaturâ, totus poſitus eſt curationis cardo; illud præſtat medicamentum quo viſceribus ad uterum vergentibus, ſufficienter, vel reſtituitur, vel conciliatur tonus, & ideo ſanguis facilè vincit uteri repagula: Tria ſunt in Muliere viſcera ſuppreſſis menſtruis præcipue laborantia, ſicut feriantibus in Viro hœmorroïdibus, nempe pulmo, hepar, & lien. Pulmonis affectui præſertim proſpiciendum eſt, & in eo caſu potiſſimum ad ciendos menſes ſectio venæ brachialis anteponenda; ſi verò hepar, aut lien & conſequenter meſenterium inteſtinaque precipue laceſſantur, ante uſum calybis præſtant amara, aperientia laxantia, præſenſque eſt & efficax ſaphænæ ſectio, cujus perennando effectui, optime ſuadetur balneum; Hæc omnia ad præparandum neceſſaria ſunt, ſed ad perfectè medendum imparia, niſi jungatur Chalybs texturâ ſuâ quoſcumque redundantes eliminans ſuccos, ipſis ſtructurâ idoneam commodans compagem, viſceribus denique impertiens elaterem, quo humores ad loca conferentia dirigantur.

IV.

LAPIS quidam è terrâ erutus, crassiusculè tritus fundit ope violenti ignis materiem, ex quâ adhuc excandescente, & repetitis malleorum ictibus actâ, ferrum conficitur pluribus humanis usibus impensum, pluriesque & salubriter in medicinâ adhibitum; Idem quibusdam cæmentatum pulveribus ignique denuò redditum, aut alternanti, tum ignitione, tum malleatione & in aquam immersione subactum, fit compactius minusque ductile, vocaturque Calybs. Quodnam ex ferro, vel chalybe in medendo præstantius, parvi refert disquirere, nec genuinè definiri potest. An, agat, vel totâ, ut aiunt, substantiâ vel qualitatibus? An sulphure, aut vitriolo, Quisnam scit? An dissolvatur in ventriculo, an in humoribus misceatur, sanguinique innatans, ad remotiores pervadat partes, alii asserant, negent alii; Qui ex iis certiores? Verisimile est, ferri virtutes quaslibet suarum particularum ponderi, moli, & figuræ tribuendas; Vis sua in ventriculo, & in intestinis tota evolvitur, his tribuit oscillandi rationem, quæ ad omnes corporis partes, non illicò, sed gradatim extenditur. Sic pleraque medicamenta, & præsertim Mineralia agunt. Quæ vero ex vegetabilibus, & animalibus desumuntur intra viscera sese diffundunt, & ad alimentorum indolem accedunt, Opium tamen & Cantharides generali humorum circuitu per corpus non devehuntur, licet singulariter afficiant cerebrum, & vesicam. Sunt in abdomine, nervorum plexus, quibus impressio quam accipiunt viscera, ad omnes corporis partes, vel ad unam propagatur; Ferrum morbis à menstruorum suppressione ortis, peculiariter medetur, ex eo quod pondere suo, ventriculi & intestinorum membranis, novum ac contumacem opponat renixum, dein figurâ suâ, istorum organorum sanguis intra venas arteriasque per mesenterium expansas, atteritur, ac facilè fluit, demum uno tenore hepar, & lien humorum circuitus & secretiones expeditius experiuntur, pulmo postea & cor aërem atque sanguinem haud ægrè admittunt & emittunt, fluidis proindè crasis, copia & motus restituuntur; organa simul conspirant, istoque fœdere, uterum ipsis cogunt cedere, & idcirco sanguini priùs ob repulsam sistenti, pristinus præbetur exitus.

V.

MULTIPLEX adhibenda cautio est in præscribendis chalybeatis;

1a. Scilicet est: ut nulla adsit in quibuslibet visceribus inflammatio; præsertim in pulmonibus, ne ex vellicatione quam excitat ferrum vel per se, vel quolibet artificio paratum, fibris pulmonalibus nimium irritatis, aëreo-sanguineum viscus disrumpatur, exsiccetur, febris proindè hectica, marasmus, sanguinis sputio, & præcipuè Diarrhæa colliquativa oriantur.

2a. Cautio est ne ferrum usurpetur, ubi turget sanguis; secùs ejusdem augetur plenitudo ex istius medicamenti usu vasorum diametrum constringentis, unde sanguis in diversas regurgitat partes errabundus, aut in iis morans, lentescit, canales dilacerat, decubitus suscitat internos, hœmorragiasve hinc indè promovet, imo lympham nonnunquam ita comprimit intra vasa, ut facta acris præ morâ nunc accersat scorbutum, nunc præ tenuitate vapescat, & proindè nutriendo evadat inhabilis, & in serosam degeneret colluviem, cui non raro succedit hydrops.

3a. Cautio eſt, ne nimia ſit in viſceribus debilitas, orta nunc ex ſuccis malè elaboratis aut turgentibus: tunc enim ferrum nec agit nec agere poteſt, ſuoque pondere chyloſim impedit aut perturbat, ingruunt idcirco Cardialgiæ, Vomitus, Diarrheæ colliquativæ, & inde ante ferri uſum, ſicut per eumdem, feliciter adhibetur amarorum, ſtomachicorum, tonicorum, catharticorum uſus.

4a. Cautio eſt, ut ferrum minimâ & diuturnâ quantitate impendatur: quicumque in fibris excitatur motus, non perſeverat, niſi ſenſim ſine ſenſu cieatur, creſcenſque pertingat ad præcipua corporis organa.

5a. Cautio eſt ut per ferri uſum rarò, nunquam poſt eumdem, adhibeantur purgantia. Quando tamen pigra & conſtricta occurrit alvus, laxetur eadem quotidiano ex aquâ œnemate, vel caſſiæ aliquot dragmis ante cibum ſumptæ. His cautionibus aptus & permanens cunctis organis conciliatur Elater. Digeſtio, Nutritio, Secretio, Evacuatio quælibet fit ſalubriter, atque feliciter contingit Fœminæ, qui ipſi proprius eſt per certum vitæ tempus, Menſtruorum fluxus.

Ergò Menſtruis morantibus, Chalybeata.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Florentius Bellot, Scholarum Profeſſor.

M. Joannes de Dieſt.

M. Joſephus de Juſſieu, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Henricus-Franciſcus Bourdelin, Pharmaciæ Profeſſor deſignatus.

M. Antonius Joannes Daval.

M. Robertus-Hubertus Linguet.

M. Claudius de la Vigne de Frechevile, Medicus Regis & Domûs Reginæ ordinarius,

M. Joannes-Damianus Chevalier, Regis Conſiliarius, Medicus ordinarius in inſulâ ſancti Dominici.

M. Ludovicus de Santeul.

Proponebat Pariſiis, JOSEPHUS LALLEMANT, Lingonæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.